



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis  
summis philosophis repetita**

**Scribonius, Wilhelm Adolf**

**Hanoviae, 1593**

**VD16 S 5114**

Cap. IX. De virtutibus prudentiæ cognatis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

Prudentiam rectè proponi inter virtutes.  
*Sed quomodo prudentia quæ sæpe videtur otiosa,  
 confert ad felicitatem, quam actio parit  
 virtutum?*

Prudentia, sicut & sapientia, plurimum cō-  
 fert ad felicitatem: ostendit enim media per  
 quæ ad finem propositum, quem virtus expe-  
 tit, perveniamus, & ut maximè non cōferret,  
 esset tamen per se tamquam animi ornamen-  
 tum expetenda. Item virtus non potest esse si-  
 ne electione: Electio autem nequit consistere  
 sine prudentia: Ergo nec virtus sine pruden-  
 tia: adeoque ad felicitatem requiritur.

*Proba plenius virtutes non posse consistere  
 sine prudentia?*

Recta ratio est quæ prudentiæ congruit:  
 Virtus autem definitur habitus rectæ rationi  
 consentaneus: Ergo virtus est habitus, qui si-  
 ne prudentia non possit consistere.

*Cum igitur virtus non sit sine prudentia, quare  
 Socrates omnes virtutes prudentia nomine  
 appellavit?*

In eo erravit, quod omnes virtutes pruden-  
 tiam esse definivit: Sed quod non sint sine pru-  
 dentia, rectè dixit.

De virtutibus prudentiæ cognatis.  
*Dixisti prudentia cognatas quasdam esse species,  
 quenam sunt istæ?*

Recta deliberatio quæ Græcè dicitur εὐβουλία, & Sagacitas.

*Quid igitur est εὐβουλία?*

Est habitus consultandi, vel prudenter consilium aliquod capiendi.

*Cur non desinis solertiam quo nomine ab aliis definitur?*

Solertia, definiente Aristotele est quædam conjectura: εὐβουλία non est conjectura: Ergo εὐβουλία non est solertia, sed ut dictum, habitus recta ratio ad finem aliquem consequendum utilis.

## CAP. X.

De Sagacitate.

*Quid est Sagacitas?*

Ex qua sagaces reddimur & nominamur.

*Quomodo differt à prudentia?*

Res quidem eadem utrique subjectæ sunt, sed diversimodè. Prudentia enim præcipit, ut ea quæ sagaciter judicata sunt. Invenit consulendo εὐβουλία, sagacitas judicat, prudentia imperat, ut quod rectè judicatum est referatur ad actionem.

## LIBER VII ETHI-

CORUM.

Argumentum.

*Absoluta hætenus doctrina de virtutibus, tum moralibus, tum intellectivis, & his omnibus constantibus.*